

rogativa, Paradiso scilicet, non Inferis deversurus. Fuer e etiam Patres, qui Adami Paradisum in Cœlo situm censuere.

Quod in præsentia nosse proderit, communior antiquorum semper sententia fuit, per Paradisi nomen, utpote adinventum ad significandum quenlibet amoenitatis, Felicitatisque locum, in novi Testamenti Libris designari Animarum statum in Beatitudine Celesti; atque in eo sensu ab omnibus fere Christi Fidelibus nunc etiam usurpatur. Si Tertulliani ipsius verba non perfunditorie expendis, perspicies, jam tum complures e Christianorum schola censuisse, non solum Patriarchas & Prophetas adductos in Paradisum a Christo ascendentे in Cœlum, sed & reliquis Justorum Animabus patere post mortem beatam illam Regiam, ipsorumque Patriarcharum consortium. Immo, inquit, (ita Christianos alias sibi reponentes Tertullianus inducit) dormitio nostra in Paradiso, quo jam tunc **U** Patriarchæ, **U** Prophete, appendices Dominicæ resurrectionis, ab Inferis migraverint. Porro Sanctus Cyprianus, uti infra ex ejus Libro de Mortalitate, heic reducendo, edisces, apertissime Paradisum & Regnum Cœlorum unum idemque putat, & beatissimam hanc Sedem singulis Justis specrandam statim a morte affirmat. Amplectamur diem, inquit, qui assignat singulos domicilio suo: qui nos istinc eruptos, **U** laqueis secularibus exsolutos PARADISO RESTIUIT, ET REGNO COELESTI. Quid autem hoc nomine indicatum censuerit Chrysostomus, is nobis edisserat Homil. 79. ad Populum Antiochenum. Latro, inquit, in cruce distentus, paucis verbis COELESTE REGNUM est assequutus. Rursus ille in Concione de Lazaro: Abrabam needum erat IN PARADISO, quia needum Christus intraverat cum Latrone. Crux Christi clavis est. Crux aperuit PARADISUM. Nomen nobis dixit, quod REGNUM COELORUM non patitur, **U** violenti rapiunt illud? Et Crux **U** STATIM PARADISUS: sed magnitudo pœnarum facit magnitudinem Præmiorum. Ita in Homil. de Cruce & Latrone: Latro AD PARADISUM inducitur. Christo non injuria fuit, sacram ingredienti Patriam, facere ingressus sui Latronem partipem. Quum publicanos **U** forniciarios AD COELORUM REGNUM introduxit, non Cœlorum Regnum infamavit, sed etiam magis honoribus ampliavit, ostendens talem Dominum Regni esse Cœlorum, qui **U** indignas tantum meliorari fecit personas, ut etiam illius dignitatis GLORIAM mererentur. Anastasii quoque Synaitæ verba sunt in Oratione de Sacr. Synax. Tom. I. Canisi: Latro ille cum Christo crucifixus, homicida erat: at Judas, Apostolus **U** Discipulus erat. Intra exiguum temporis spatium mutatio accidit. Latro IN REGNUM ingressus est. Discipulus in interitum ruit. Sanctus Hilarius Tract. in Psalm. I. num. 9. agens de Ligno, quod plantatum est secus decursus aquarum illudque appellans Lignum Vite; hoc est Sapientiam, ait plantatum juxta decursus aquarum, in possessione scilicet REGNI DEI, idest IN PARADISO. Illic enim plantatum hoc lignum est, quo Latronem illum, se Dominum considentem, Dominus, qui Sapientia est, introduxit, dicens: Amen dico tibi: Hodie tecum eris IN PARADISO. Ubi vides, Paradisum acci-